

ATHVLPHVS GOTHORVM REX.



A Thulphus Halarici defuncti regis Gothorū propinquus fuit, qui rerū gestarum gloria & animi magnitudine reliquos suæ gentis homines facile superabat. Itaque factum ut post Halaricum communī militum consensu Gothorum rex fuerit declaratus. Is statim Placidiam Honorij Imperatoris sororem, quam prius Romæ captam diximus, si bī matrimonio iunxit. Hęc regem multò Romanis mitiorem reddidit, cum urbi excidium minatus esset. Cum enim post Gothorum digressum urbs se se paucis mensibus in pristinum quasi statum vindicasset, ut præter pauca incendiū uestigia nihil hostile passa uideretur, atq; ciues Gothos contemne-re inciperent, Athulphus rex Romam properauit, atq; denuò repugnantibus Romanis urbem ui cepit. ibi iterum diripitur & multa cæde födatur.